



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 93. Episcopi pro conficiendis Canonibus nominati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

finiri haud possent, sed potius, illos tantum aiebat damnandos, qui pro superfluis, aut perniciosis eas habent.

Saecul. XVI.
A.C. 1562.

§. XCIII.

Episcopi pro conficiendis Canonibus nominati.

Postquam Theologi, ac Canonici juris Doctores horum articulorum examen absolverant, ex Episcopis nonnulli fuere nominati, qui Capita, & Canones instruerent. Hi Præsules erant Caspar de Fosso ex Ordine Fratrum Minorum Reggientis Archiepiscopus, Callinus Iadrensis Archipræsul, Andreas Costa, seu Cuesta Legionensis, Sala Vivariensis Episcopus, Suaresius Conimbricensis, & Colosvarinus Canadensis Præsul. Hi intra octiduum suo fungebantur munere, adeo, ut jam decima tertia Octobris die prima haberetur Congregatio, in qua Canones, & capitula ab eis concinnata discuterentur. Porro circa Ordinis Sacramentum capita erant nonnisi quatuor, octo autem Canones: rebus igitur tam prospere dispositis Legati negotium cum summa animorum tranquillitate perficiendum sperabant, nec sua eos fefellit opinio; quippe omnes Patriarchæ, atque Archiepiscopi præter Granatensem Canones, prout ipsis proponebantur, approbabant,

Pallav. l. 18.
c. 12. n. 10.
Et cap. 14.
num. 4.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

babant, nec minima oppositione interposita: postea vero nova exorta est tempestas, quæ tam ægre sedata fuerat, ut parum abesset, inquit Pallavicinus, quin pene in desperationem converteretur spes con-
 Litt. Legat. ad Berr. 24. Sept. & Arch. Jadr. 28. Sept. & 5. Octobr. 1562. apud Pallav.
 cepta de Universæ Reipublicæ Christianæ restauratione; quippe in postremo Canone ea formula, quæ Cardinalis Crescentii sub Julio III. Synodo præpositæ ætate erat præscripta, adhibebatur, in ea autem hic error propositus: quod Episcopi Presbyteris majores non sint Jure divino: verum Legati postremas has voces jure divino auferebant, veriti, ne exinde disputatio de jure residendi iterum suscitaretur.

§. XCIV.

Controversia de residentia ex jure Divino innovata.

Pallav. c. 12.
num. 10.

Quidam Hispaniæ Præsules, qui hanc quæstionem definiri exoptabant, coram Franciæ Oratoribus querebantur de astutia Præsulum, quos Lanfacus sub amicitiae specie monebat de tumultu, exinde suscitato, quod duo illa verba rescassent. Hi re dissimulata respondebant: „brevi innotescet, quod nos minime declinemus disputationem de jure residendi, quotiescunque ea proponeretur, cum alias sponderimus, eam denuo, ubi de Ordini-

„118